



Per.
Lat
020

Moderator ephemeridis compluribus sociis adiuvantibus STEPHANUS SZÉKELY DR. *Budapestini, Ullői-út 71.*, ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ADALBERTUS DANCZER *Budapestini, VIII., József-körút 48.*, ad quem
□ □ □ pecuniae quaecunque dirigantur. □ □ □

Prodit Budapestini Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae
□ □ □ subscriptionis: 4 coronae, semestris 2 coronae, extra Hungariam annuae 5 coronae. □ □ □

Franciscus Iosephus I.

Rex noster apostolicus vitae annum octogesimum praeterito mense explevit. Breve spatium pro vita populorum, grandissimum fere pro vita mortalium!...

In regia¹ Budensi caerimonia² depicta est, qua Francisco Iosepho sacra corona regia defertur. Nemo eorum, qui his sollemnibus ante annos tres et quadraginta interfuere, superest, praeter unum: regem ipsum.

Cum regnare coepisset, regna Habsburgica dilabi³ videbantur: Hungariam arma Russica pacaverunt, Gallia Cisalpina⁴ Venetiaque perditae sunt, clade vero Königgrätzianā domus regnatricis summo imperio Germaniae privata est. Sed nec vita privata regis nostri summis malis vacabat: frater et uxor, regina


nostra dilectissima, per vim ablati; et natus, — aequae ac Emericus, primi regis apostolici filius — regni heres mortem repentinam⁵ obiit... tot spes, tot gaudia unius diei hora una in adversa convertit.

At rex animo forti tolerabat omnes fortunae iniurias, quarum consolationem in religione officisque persequendis⁶ quaesivit. Ob quam

rem non solum a populis suis colitur et observatur, sed etiam ab omnibus populis principibusque orbis terrarum, qui cuncti illo die festo precari festinabant, ut crudā⁷ ac viridi senectute incolumis viveret.

Nos autem supplicibus verbis oramus Deum, ut virtutibus traditis⁸ Francisci Iosephi I., regis nostri apostolici gloria patriae nostrae et novetur⁹ et augeatur!

¹ királyi vár ² szertartás
³ széthull ⁴ ma: Lombardia
⁵ erőszakos ⁶ kötelességteljesítés ⁷ friss ⁸ ősi ⁹ megújít.






HYMNUS

e turbidis populi Hungarici saeculis. Composuit *Franciscus Kőlcsey*. Latine reddidit *Iosephus Irsik*.

- | | | |
|---|---|---|
| <p>1. Auge¹ Deus Hungaros
Re,² iucunditate;
Dexterā tuere³ nos
Hoste conflictante.⁴
Saeclum da iucundius
Genti passae dura;
Praeterita luimus,⁵
Luimus futura.</p> | <p>3. In agris Cumaniae
Spicas maturabas,
Vites Tokaj' nectare
Tu stillare dabas.
Superabant duce Te
Turcas nostra signa,⁹
Tristem¹⁰ Martem Mathiae
Gemuit Vienna.</p> | <p>5. Quotiens ferum genus
Ottomanum densis¹³
Nostris exercitibus
Exsultavit caesis!
Quotiens et filius
In te vertit arma,
Patria, civilibus
Armis prolis urna!¹⁴</p> |
| <p>2. Atavos⁶ induxeras
Karpatorum iugis,⁷
Per Te sedes prosperas
Nactus⁸ Almi sanguis;
Tisiae, Danubii
Qua volvuntur undae,
Fortis prolis Arpadi
Terrae sunt fecundae.</p> | <p>4. Heu! sed nostris vitiis
Es incensus irā,
Fulminaue noxiis¹¹
Detonabas dira;
Nunc sagittas Mongolūm
Mittebas super nos,
Mox Turcarum subiugum
Nos agebas servos.¹²</p> | <p>6. Latitat¹⁵ tuus bonus
Persecutus civis,
Exsors¹⁶ iam domi domus
Exturbatur antris.
Monte, valle deviat
Tristis desperatus;
Sanguinem pede vadat¹⁷
Flammis circumflatus.</p> |
| <p>7. Arx stetit, nunc rudera;
Gaudia flagrabant,
Fletus morsque misera
Coelos iam fatigant.
Ah! libertas non viret
Mortui cruore;
Lacrimoso serviet
Orphanus¹⁸ dolore...</p> | <p>8. Salva Deus Hungaros
Tot periculorum,
Dexterā tuere nos
In mari dolorum!
Saeclum da iucundius
Genti passae dura;
Praeterita luimus,
Luimus futura.</p> | |

¹ gyarapít ² vagyon, «bőség» ³ tuetur = véd ⁴ össze-
tűz ⁵ megbűnhődik ⁶ ős ⁷ gerinc, «bérc» ⁸ nan-
ciscitur = nyer ⁹ zászló ¹⁰ szomorú, szomorító, bús

¹¹ a bűnösökre (dativus) ¹² praedicativum ¹³ sürü
¹⁴ t. i. facta es ¹⁵ rejtzók, búvik ¹⁶ hontalan ¹⁷ gázol
¹⁸ árva



De caupone et duobus pueris.

Paulus et Thomas, pueri urbani in silva ambulantes itinere deerraverunt.¹ Postquam diu frustra iter expedire² conati sunt, in cauponam ierunt, ubi pernoctarent.³

Caupo libentissime eis locum requiem-
que⁴ praebuit et in cubiculo⁵ parvo collo-
cavit eos.

Media nocte colloquio excitati, auribus

clostello⁶ admotis audiverunt vocem caupo-
nis, qui uxori dixit: «Tu, Martha, fervefac⁷
aquam, quia illos duos urbanos mane
iugulabo».⁸

Pueri his auditis maxime perterriti sunt.
Denique Thomas «Carissime Paule — in-
quit — viden,⁹ sunt re vera homines, qui
carne humana vescuntur.¹⁰ Etiam in IUVEN-
TUTE nostra id legi, ubi de Robinsonis re-
bus gestis agitur».¹¹ Et decreverunt per fene-
stram effugere. Leniter¹² aperiunt fenestram
et in cavaedium¹³ desiliunt. Sed vae, porta
clausa: pueri aufugere nequeunt.

¹ eltéved ² eligazodik ³ meghál ⁴ éjszakai pihenő
⁵ szoba ⁶ kulcslyuk ⁷ fervefacit = forral ⁸ öl, leszúr
⁹ videsne ¹⁰ táplálkozik ¹¹ szó van ¹² lassan ¹³ udvar

De Pompeis sepultis et erutis.¹

Quis vestrum ignorat fabulam Glauci, quam apud Bulwerum et fabulam Lygiae, quam apud Sienkiewiczium scriptam vidit! Quis non audivit de Pompeiorum interitu!

Urbs erat Campaniae, quae clade Vesuviana, ante duodeviginti saecula sepeliebatur. Quae autem clades urbem perdiderat, nobis utilitati est. Ex urbe enim eruta melius planiusque² cognoscimus vitam veterum Romanorum, quam ex multis voluminibus scriptorum. Et quid est homini erudito iucundius, quam percipere vitam eorum, qui ante nos vixere, quorum nos — ut ita dicam — liberi discipulique sumus!

Quales sin⁴ Pompei hodie, ex hac pictura



videtis, quā imago Pompeiorum ex obliquo visa³ exprimitur. Nondum urbs tota oculis

Expulerunt igitur porcos ex hara¹⁴ et ibi se occuluerunt.¹⁵ Bene mane venit caupo et pueri occulti trementes viderunt eum, cultrum exacutum¹⁶ manu tenentem ad haram venire, ubi constitit et loqui coepit: «Vos parvi urbani, venite foras,¹⁷ ultima vobis adest hora, nunc vos iugulabo».

Quanta fuit admiratio cauponis, cum pro duobus porcis pueros urbanos vidit, qui lacrimantes clementiam expetiverunt.¹⁸

Cum caupo ab admiratione animum recepisset,¹⁹ interrogavit pueros: «Cur reliquistis cubiculum, quod vobis dederam? Cur venistis in hoc sordidum suile?»¹⁴

patet, quasi⁴ tertia pars adhuc abdita est. Sed ea, quae videri possunt, ab omni fere



parte perfectum aspectum vitae Romanorum antiquorum praebent.

Utensilia⁵ domestica aliaque, quae moveri possunt, Neapolim transferuntur, ubi in Museo Publico spectari possunt, ita ut Pompeis, domibus vacuis⁶ visis oculi haud ita commoveantur, quam pro tantā famā expectari possit. Sola domus, quae dicitur Vettiorum, integra⁷ relicta est, sicut e tot annorum sepulcro eruebatur!

Quam diligenter in eruendo agatur, altera pictura demonstrat. Quaeque enim gleba⁸ separatim inspicitur, cribratur⁹ et coribus¹⁰

¹ eruit kiás ² világosabban ³ madártávlatból
⁴ mintegy ⁵ szerek ⁶ üres ⁷ érintetlenül ⁸ rög
⁹ szítál ¹⁰ kosár

Pueri responderunt: «Legimus in IUVENTUTE, esse homines, qui carne humana vescantur. Et audivimus, cum diceres uxori tuae: «Illos duos urbanos mane iugulabo». Itaque metu huc nos recepimus».¹⁵


Caupo risu paene dissiliens²⁰ dixit: «O, vos parvi aselli! illi urbani sunt porci duo, quos in urbe emeram et nunc iugulare volo. Vos autem ite lavatum,²¹ quia sordidi²² estis. Alias²³ ne auscultate ab ostio!»²⁴

L. Heigli.

¹⁴ ól ¹⁵ elbujtat ¹⁶ éles kés ¹⁷ ki ¹⁸ kegyelmet
kér ¹⁹ magához tér ²⁰ szétpukkad ²¹ mosakodik
(supinum) ²² piszkos ²³ máskor ²⁴ az ajtónál hallgatózik.

aufertur, nec ulla res vilissima negligitur. Ita fit, ut ea, quae abhinc mille et octingentos annos in visceribus¹¹ terrae sepulta erant, proferantur nobisque pateant.¹²

¹¹ viscera, -um belek, belseje ¹² nyitva áll.



LECTORIBUS MINIMIS.

Petrus. Marcus. Iosephus.

Petrus: Heus, heus puer, nemo huc prodit? ¹ *Marcus*: Hic effringet fores.² Familiaris³ est, puto. O lepidum caput!⁴ Quid affers, mi Petre? *P.*: Me ipsum. *M.*: Nae,⁵ tu rem haud pretiosam attulisti. *P.*: Atqui⁶ carus sum patri meo. *M.*: Credo. Quisque suis parentibus carissimus est. *P.*: Ceterum Iosephus estne domi? *M.*: Incertus sum, sed visam.⁷ *P.*: Quin tu potius abi et roga ipsum, ut velit nunc esse domi. *M.*: Abi tu potius, sisque tibi ipsi Mercurius.⁸ *P.*: Heus Iosephe, *Lupus*, quod aiunt, *adest in fabula*. Nam de te sermo⁹ erat. In tempore advenis. Quare tam raro nos visis? *I.*: Volui quidem, hactenus¹⁰ non sinebant¹¹ negotia, ut te viserem. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. *M.*: Accipimus tuam excusationem,¹² sed hac lege,¹³ ut posthac crebrius¹⁴ venias. *I.*: Ignoras¹⁵ tu proverbium¹⁶ illud: *Satis crebro visit, qui constanter¹⁷ amat?* *P.*: Pulchra verba, non nego. Sed nunc eamus; ostendam¹⁸ vobis locum, ubi nec nemus umbrosum,¹⁹ nec prata viridia,²⁰ nec fontes strepentes²¹ desiderabitis.²² *M.*: Tu semper magna polliceris;²³ homo minime mutus²⁴ es. Quod tibi auribus diminutum est,²⁵ lingua pensat.²⁶ *I.*: Marcus noster in contumelias²⁷ aliorum semper ingeniosus²⁸ est. *P.*: Dum vos rixamini,²⁹ perit tempus. Ego nihil dico. Vestris oculis videbitis, verumne dixerim, an non.

¹ kijön ² betőri az ajtót ³ rokon, jóbarát ⁴ kedves fej, kedves fiú ⁵ valóban ⁶ mégis ⁷ viso, visere = megnéz ⁸ az égiek hírvivő istene, hírnök ⁹ beszél-

getés ¹⁰ eddigelé ¹¹ enged ¹² mentség ¹³ azzal a feltétellel ¹⁴ creber = gyakori, crebrius = gyakrabban ¹⁵ nem ismer ¹⁶ példabeszéd ¹⁷ állhatatosan ¹⁸ mutat ¹⁹ árnyas liget ²⁰ zöld rétek ²¹ csobogó források ²² nélkülöz ²³ ígér ²⁴ néma ²⁵ hiányzik ²⁶ pótol ²⁷ kisebbités, gyalázás ²⁸ tehetséges, találékony ²⁹ veszekszik.

Sententiae.

Este pares,¹ et ob² hoc concordēs³ vivite;
nam vos
Et decor et ludus et amor sociavit⁴ et aetas.

*

Fertilior⁵ seges⁶ est alienis semper in agris
Vicinumque pecus grandius uber⁷ habet.

*

Nulli inimicus ero, sed nec bis amicus
amico,

Nam cuicumque semel, semper amicus ero.

*

Qui mala multa facit, patietur⁸ multa vicissim⁹,

At mala qui patitur plurima, pauca facit.

¹ egyenlő ² ért ³ concors egyetértő ⁴ társít, egyesít ⁵ termékeny ⁶ kalász ⁷ emlő ⁸ tűrni fog ⁹ viszont.




In ultimo ephemeridis nostrae numero verba fecimus de morte **Eduardi VII.**, Britannorum regis. Nunc vobis ob oculos ponimus effigiem regis Georgii V., qui patri suo succedit.

Vix aliquot hebdomades effluerunt, cum poetam nostrum celeberrimum **Colomannum Mikszáth**, annum sexagesi-



num celebrantem salutavimus. Nobiscum celebrabant eum gentes eruditae, in quarum sermonem opera scriptoris celeberrimi conversa sunt. Paulo post sollemnia aderat lucus: Mikszáth noster mortuus est. Nobiscum lugent eruditi et lugent Camenae.¹

Certamen volandi,² quod mense Iunio Budapestini habebatur, undique terrarum³ aëronautas contraxit. *Paulhan, Rougier, Wagner, Farman, Illner, Latham, Frey, Moser* aliique principes aëris⁴ convenerunt, ut urbi et orbi⁵ documenta darent, quam difficile esset regnum aërium expugnare, quod mor-



tales inde a temporibus Daedali patris tam vehementer affectant.⁶ Extra aëronautas alii quoque carpserunt⁷ aethera, inter quos etiam uxor archiducis

nostri Iosephi, quae cum aëronauta Warchalovsky sublime efferebatur.⁷ Cuius rei imaginem hic videtis.

Clades navigii subnatantis,⁸ cui nomen erat Pluiose, dolorem omnium hominum commovit. Hac navi Francogallicā viginti quinque nautae vitā privabantur. Populi enim non contenti instrumentis, quibus alter alterum terrā marique trucident, novissime aërem quoque temptant et sub aequora penetrant, ut naves hostium ab imo⁹ displodere possint. Ad hanc rem erat constructa etiam Pluiose, quae in freti Gallici¹⁰ portu Itio,¹¹ e profundo levata¹² videri potest.

Nicolaus, qui anni millesimi octingentesimi sexagesimi mensis Augusti die 26a principis nomine in terris Montis Nigri¹³ regnare coeperat, rex declaratus est. Ultimus erat in Europa regnantium, cui nomen regis deerat, postquam dominatoribus Rumeniae, Serbiae, Bulgariae hoc nomen antea impositum est.

Le Matin, ephemeris Parisiana praemium centum milium proposuit illi aëronautae, qui spatium octingentorum chilometrorum pervolare posset. Victor evasit *Leblanc*, qui iter aetherium¹⁴ duodecim horis transcurrit.

Bartholomaeus Székely annum agens septuagesimum quintum mortuus est. Paucos vestrum puto

fore, qui sciant defunctum esse pictorem clarissimum, cuius opera per Hungariam divulgata sint. *Corpus Ludovici II. invenitur, Dobozy cum uxore, Mulieres Agrienses,*¹⁵ *Pugna apud Mohács, aula regia Ladislai V., Emericus Thököly*




Certamen inter Christianos et paganos. Pinxit B. Székely.

*vale*¹⁶ dicit patriae etc. notiora¹⁷ sunt, quam ut copiosius¹⁸ de iis disserere¹⁹ opus sit.

Bruxellis,²⁰ ubi ex toto orbe terrarum visu digna palam proponebantur,²¹ incendium exortum est, quo magna pars rerum expositarum cum magno omnium eruditorum dolore²² deleta est.

Britanni, Francogalli Italique maximum acceperunt detrimentum, cuius pars societatibus, cautionem facientibus²³ praestatur.²⁴ Illo ipso die, quo incendium excitabatur, centum milia hominum adfuisse dicuntur, qui omnes salvi exierunt; igni absumptae sunt ferae, quae «Bruxellis Veteribus»²⁵ in vivario²⁶ custodiebantur. Terribilis erat rugitus²⁷ leonum, tigrium, leopardorum, qui liberari non poterant flammisque necabantur. Ceterum quod rerum expositarum superest, de integro ad visendum patet.²⁸




1 Múzsák 2 repülőperseny 3 mindennemű 4 a lég hősei 5 a mindenségnek 6 óhajtvá óhaj 7 levegőbe száll 8 tenger alatt járó hajó 9 alulról 10 la Manche 11 Calais 12 kiemel 13 Montenegro 14 légi 15 Egri nők 16 búesu 17 ismert 18 bőven 19 értekeznek 20 Brüsszel 21 világiállítás volt 22 fájdalomra 23 societas cautionem faciens biztosító társaság 24 megtérít 25 Os-Brüsszel 26 menaszéria 27 ordítás 28 nyitva áll.

Josephus Maywald dr. quadraginta annos in Scholis Piis litteras Latinas et Graecas docebat. Docendi muneris decursus quadragenarius²⁸ cum splendore celebratus est. Omnium ordinum viri generosissimi clarissimique convenerunt, ut magistrum quondam²⁹ suum reverentiā colerent³⁰ reverentiae-



que testimonium manifestum³¹ ei offerrent. Imaginem enim per artificem eminentem caelato³² opere fieri curabant et inter multa gratae memoriae signa viro doctissimo tradiderunt. Inter alios etiam **Ludovicus Katona** magister in litterarum universitate Budapestinensi doctissimus eum consalutavit.³³ Vix aliquot hebdomades³⁴ effluxere... hic sepultus, ille alter animo aegroto³⁵ iam non gaudet insigni,³⁶ quo a rege nunc decoratus est.

Inter monumenta, quae in honorem Francisci Iosephi I. octoginta annos nati instituebantur, memoratu dignissima sunt ea, quae ad venationem³⁷ pertinentia Viennae



palam ad spectandum exposita sunt. Quorum pars non mediocri ex patria nostra comportata est. Villae Hungaricae frontem³⁸ hic spectare potestis.

Quae e terris Austriae hereditariis³⁹ exponebantur, et elegantiae⁴⁰ et divitiarum documenta dant.

Duae calamitates sunt, quibus nuntiorum series finitur. Altera patriae, altera Austriae illata est. Imbribus enim continuis nonnullae partes Hungariae terribilem in modum inundabantur.⁴¹ Aquarum vi identidem⁴² maxime tentatae⁴³ sunt australes regiones regni eaeque⁴⁴ in comitatu Krassó-Szörény, ubi non solum arbores, pontes, domus animaliaque, verum etiam homines fluctibus

mergebantur. Ad summam inopiam redacti⁴⁵ sunt etiam incolae pagi *Tömörkény* (Csongrád), quia praeter domicilia et templum et scholam et victum amiserunt. Qui iis auxiliis ferre potest, ferat.

Bolsanum⁴⁶ est oppidum celebre Tyrolis, quo homines valetudinis causā⁴⁷ undique convenire solent. Deversorium⁴⁸ oppidi, quo multitudo hospitem recipiebantur, flammis absumptum est. Quamquam detrimentum maximum dici potest incendium aedificii tam sumptuosi, Deo favente homines salvi exierunt.



²⁸ negyvenéves tanári jubileum ²⁹ egykori ³⁰ tisztelétéről biztosítja ³¹ látható jel ³² domborművű ³³ élénken üdvözöl ³⁴ a hét ³⁵ beteg elmével ³⁶ rendel ³⁷ vadászati kiállítás ³⁸ homlokzat ³⁹ örökös tartományok ⁴⁰ jóízlés ⁴¹ eláraszt ⁴² ismételten ⁴³ megrohan ⁴⁴ még pedig ⁴⁵ nyomorba jut ⁴⁶ Bozen ⁴⁷ gyógyulás végett ⁴⁸ szálló.

Robinson X.

Latine scripsit Stephanus Probus Dr. Solnensis.

Robinson psittacum¹ capit. Novas herbas arboresque invenit. Naviculam sibi fabricare studet. **Vestigia**² humana harenae impressa, **Horrendae reliquiae epularum**:³ ossa humana ambesa,⁴ capita abiecta.

Simulac Robinson ex morbo parumper convalevit,⁵ cogitare coepit, quodnam potissimum⁶ opus susciperet. Igne enim extincto⁷ nihil ei restabat, quam edere, dormire, desidia⁸ tabescere.⁹ At cum inertiam vel ipsā morte deteriorem existimaret, naviculam sibi fabricare statuit, cuius ope continentem¹⁰ attingere tentaret.

Quodam mane longius discessit aptam arborem quaesiturus. In itinere varias herbas arboresque offendit,¹¹ quarum nec nomina nec usus sciebat. Prae ceteris maxime mirabatur frumentum hucusque¹² incognitum, cuius paniculae¹³ brachii crassitudine¹⁴ ducentenis et ultra granis¹⁵ oneratae adstabant. Erat zea¹⁶ seu triticum¹⁷ Turcicum. Non dubitabat, quin, si ignem haberet, panem sibi inde conficere posset. Nihilominus nonnullas paniculas decerptas in peram demisit sperans, eas sibi quondam utilitati fore.

¹ papagály ² a nyom ³ lakoma ⁴ félig lerágott ⁵ meggyógyul ⁶ első sorban ⁷ abl. absol. ⁸ semmittevés ⁹ sorvad, pusztul ¹⁰ szárazföld ¹¹ lel ¹² addig ¹³ «cső» ¹⁴ vastagság ¹⁵ granum, szem ¹⁶ kukorica ¹⁷ búza

Demum invenit arborem ex parte cavam, quam ad naviculam fabricandam maxime idoneam iudicavit. Nec mora,¹⁸ pransus in umbra accingit se operi, omnium quae hucusque susceperat, durissimo. Etenim trium fere horarum labore securi lapideā¹⁹ vix tantum cavum²⁰ excidere potuit, quo digitus capi²¹ posset.

Itaque brevi intellexit negotium se plurium annorum suscepisse. Neque tamen is erat Robinson, qui difficultatibus compertis a propositis²² suis desisteret.²³ Quā de causā per totos annos insequentes maximam diei partem huic studio dicavit.²⁴ Reliquis diei partibus alimenta,²⁵ quae rursus plerumque ex cochleis,²⁶ fructibus, lacte constabant, conquirebat.

Vitam solitariam²⁷ incundiorem reddidit²⁸ psittacus captus, quem, cum nonnulla verba reddere docuisset, oblitus solitudinis, socium se nactum²⁹ esse finxit.³⁰ Ceterum per totos annos nihil ei memoratu dignum accidit. Quinto vitae solitariae anno totam insulam rapagrare statuit. Timorem enim bestiarum rapacium³¹ ferorumque hominum, cum nulla vestigia² suspiciosa³² deprendisset, paullatim deposuerat.

Unam itaque ex lamis victu, qui quadriduo³³ sufficeret, oneravit et armis solitis instructus in viam se dedit. A litore, quantum fieri poterat, non discedebat,



quo facilius regionem sibi notare³⁴ domumque reverti posset. Primam noctem in arbore semisomnis³⁵ transegit. Postero die resumpsit iter propositum. At vix nonnullos passus processerat, cum quasi solo fixus³⁶ constitit subito-

que timore adeo perterritus est, ut toto corpore contremisceret.³⁷

Vestigia humana eademque³⁸ recentia conspexit harenae impressa. Homines feros adesse ratus revertitur et quam potuit celerrime fugere coepit. Spatium ducentorum passuum nondum confecerat, cum in convalle quadam parvā rem multo magis horrendam conspexit. Focus erat in solo, circa quem ossa humana ambusta,³⁹ costae⁴⁰ femoraque⁴¹ ambesa atque capita abiecta iacebant.

Constitit noster, quasi in statuem marmoream versus. Ubi vero ad se rediit, viribus collectis ita currere coepit, ut lama eum vix subsequi potuerit. Tenebrae iam ingruebant, cum vix habitaculum⁴² tandem attigit, ubi totam noctem sollicitus pervigilabat.⁴³

¹⁸ haladék nélkül ¹⁹ kőbalta ²⁰ lyuk ²¹ befér
²² szándék ²³ eláll ²⁴ szentel ²⁵ eleség ²⁶ csiga

²⁷ egyedül való ²⁸ kellemesebbé tesz ²⁹ nanciscitur kap ³⁰ képzelte, hogy... ³¹ ragadozó ³² gyanus ³³ négy napra ³⁴ megjegyvez ³⁵ félálmosan ³⁶ földhöz szegezve ³⁷ megremeg ³⁸ még pedig ³⁹ félig megperzselt ⁴⁰ borda ⁴¹ comb ⁴² lakás ⁴³ átvirraszt.



SALSE DICTA

Quidam e caris ministris,¹ a Vespasiano imperatore, qui dicacitatem in deformibus lucris affectabat,² cuidam quasi fratri dispensationem³ petivit. Responso dilato⁴ ipsum candidatum⁵ ad se vocavit et exactā⁶ pecuniā, quantum is cum suffragatore⁷ pepigerat,⁸ sine mora ordinavit.⁹ Interpellanti¹⁰ mox ministro «Alium tibi — ait — quare fratrem, hic, quem tuum putas, meus est».


Idem imperator in itinere quodam suspicatus est¹¹ mulionem¹² ad calciandas¹³ mulas¹⁴ desiluisse, ut litigatori¹⁵ cuidam moram¹⁶ praeberet sui adeundi.¹⁷ Interrogavit igitur mulionem, quanti calciasset¹⁸ et pactus est¹⁹ lucri partem.

C. Ferenczy.

Cum legati cuiusdam oppidi²⁰ nuntiarent ei publice²¹ non mediocris summae²² statuem colosseam²³ decretam²⁴ esse, iussit vel continuo²⁵ ponere et cavam manum²⁶ ostentans ad basim²⁷ paratam dicens.

L. Liber.

1 udvari ember ² élcelődését pizkos pénzügyi műveletinél alkalmazta ³ pénzügyi főhivatal ⁴ elhalaszt ⁵ jelölt ⁶ fölvesz ⁷ pártfogó ⁸ kiköt ⁹ ki-nevez ¹⁰ tudakozódik ¹¹ gyanít ¹² kocsis ¹³ patkol ¹⁴ öszvér ¹⁵ ügyes-bajos ember ¹⁶ idő ¹⁷ eléje járul ¹⁸ mennyit kapott a patkolásért ¹⁹ lefoglalt ²⁰ város ²¹ köz-költségen ²² nagyon költséges ²³ nagyarányú ²⁴ elhatároz ²⁵ akár rögtön ²⁶ tenyér ²⁷ talapzat.



I.

Sit vox nulla mihi, vel nulla sit ala licebit,¹ Persono² et immensas pervolo ubique plagas.³

1 licebit = licet = ámbár ² beharsog ³ vidék

II.

Findere⁴ me nulli possunt, praecidere⁵ multi;
Sed sum versicolor,⁶ canus⁷ quandoque⁸
futurus.

III.

Fit⁹ minus, adicias si quid; si dempseris illi,
Augetur; crescit diminuendo magis.

IV.

Duae urbes inter se 684 chilometra di-
stant, e quibus duo viatores exeuntes occur-
runt sibi die duodecima, conficitque alter
quotidie tribus chilometris plus, quam al-
ter. Quot chilometra conficit uterque sin-
gulis diebus?

St. Kádár.

V.


Pater sexagena-
rius¹⁰ habet filium
sex annos natum;
est ergo decies
senior filio. Post
quot annos erit
pater ter senior
filio?

I. Péter.

⁴ hasít ⁵ levág
⁶ sokszínű ⁷ szürke
⁸ néha ⁹ minus fit, si
quid adicias; augetur,
si illi dempseris (elvesz)

VI.

Aenigma imaginibus
expressum.




¹⁰ hatvanéves.

Solutiones aenigmatum numeri X.
anni I.

I. 22+14. II. 18, 14; Quintus perdidit 20 coronas.
III.

1	15	14	4
12	6	7	9
8	10	11	5
13	3	2	16

IV. Post 22
annos.
V. 27 viri, 21
feminae.




VII. Sepulchrum.

VIII. Liber, ignis, baculum, Europa, navis, tigris,
epistula, rosa, horologium,¹ ovis, mensa, Italia, nux,
effigies, sol, quadratum, umbella,² orbis,³ digitus,
vitis,⁴ oculus, libra,⁵ uva, novacula,⁶ tabula, culter,⁷
rota, ensis,⁸ domus, urceus,⁹ nasus, turris. = *Libenter*
hominis, quod voluit, credunt.

Nomina eorum, qui aenigmata solverunt, numero
sequenti tradentur.

¹ óra ² ernyő ³ kerék ⁴ szőlőtő ⁵ mérleg ⁶ bo-
rotva ⁷ kés ⁸ kard ⁹ korsó.




Lectoribus nostris. Anno scholastico ineunte vos
omnes quam optime valere iubeo, ut viribus et corpo-
ris et animi refectis labori novo incumbere possitis.

Beati vos, gaudium parentum, spes patriae, qui
rursus laborem capessere¹ potestis. Ter miseri afflic-
tique parentes, qui filium ex improvise amiserunt.

Colomannus Merzula disc. V. classis erat gymnasii
Budapestinensis ad Viam

Stephani, ubi amorem
magistrorum nec non
condiscipulorum diligen-
tiā, modestiā, probitate
summo opere² sibi concili-
avit.³ Vix annum vitae
decimum quintum exces-
sit et iam columen⁴ pa-
rentum inopum erat, quos
pecuniā, docendo quaesitā
adiuvabat. IUVENTUS
quoque, quam studiosis-
sime legebat, luget puerum
lepidum, qui calamitate⁵ viae ferratae periit.



Gaudemus, quod praeter nuntios tristes, iucun-
diores quoque tradere possumus. IUVENTUTIS enim
nostrae fama etiam in exteris terras pervulgata est.⁶
Novissime⁷ scholarum mediarum per Francogalliam
praefectus⁸ nobis litteras misit, quarum sententia⁹
haec fere erat:

«Iam in itinere meo Budapestinensi IU-
VENTUS mihi instrumentum iucundum pue-
ros docendi videbatur; posthac magis etiam
adductus sum, ut hoc crederem, ideoque pre-
tium triginta exemplarium pro nostris scholis
secundariis repraesentabo... etc... Parisiis
VIII. Cal. Iun. *Iulius Gautier* scholarum
mediarum per Francogalliam praefectus.»

Aliae quoque litterae argumento iucundo nobis
traditae sunt ex urbe Fennia,¹⁰ Pori (Björneborg),
quibus *Magnus Colérus*, vir doctissimus IUVENTU-
TEM lectoribus minimis maximisque magnopere pla-
cuisse affirmat.

Laudari a laudatis viris summo honori nobis ducimus.

Qui «vocabula externa» conscribunt, in ordinem¹¹
ea digerant! — Quascunque epistolas nobis mittitis,
in altera tantum pagina¹² schedae scribite! — *Alföldy*.
Difficiliora mittas! — *I. Gibás*. Pars edetur. — *Arth*.
Aliquid boni inest. — *F. Boskó*, *N. Zöldy*, *Eug.*
Maros. Accepi vestra. Gratias!

Hic anni secundi, numerus I. quem accipitis, simplex
est; pro Calendarum Septembrium numero Id. Dec.
numerus duplex vobis mittetur.

¹ fölvesz ² a legnagyobb mértékben ³ megszerez
⁴ támasz ⁵ szerencsétlenség ⁶ elterjed ⁷ újabban
⁸ francia középiskolák vezetője ⁹ tartalom ¹⁰ finn
¹¹ abc-rendbe ¹² csak az egyik lapra (oldalra).

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar
Középiskola.

Budapestini, ex officina consortii Stephanaei.